

securius cura talium liberorum & tutela testamentaria committi debuit: quam sanctæ posteritati, quæ in plurima temporum & locorum spatia similitudinem eorum propagare, extendere, ac maiore plerumq; gloria, quam inter vos uos parentes ab iniuriâ illæsos defendere, & sustentare solet. His tã arduis & difficilibus conatibus cuius vel soli vsui, veluti spectaculo, & admirationi sacrarum mentium fabricatorem orbis oculos indidisse hominibus diuinus Plato asserit, non tam genere quam nobilitate, ingenij virtutisq; Amplissimos viros D. Ioannem ac Marquardum fratres, & apud Augustanos de generosa familia Rosenbergeros, nostris temporibus ad rem literariam prouehendam singulari fato quodam natos, plurimum certè opis attulisse minime hoc loco mihi dissimulandum est. Hi enim cum naturali quadam affectione erga honestas literas, & omnis generis disciplinas, veluti futuræ virtutis seminarium honorificè de doctis, & eruditis hominibus omnibus probisq; sentiant, & loquantur (quod his deprauatis temporibus inter eiusmodi ordinis viros rarum habetur contingens) eosq; patrocinio suo singulari fouere, & tueri soleant: quorum & ego humanitatem, fidem, & clientelam in me immeritum ea modestia, & animi candore collatam esse, vel inuitis ijs, quibus id ex officio magis competiisset sensi, ut dando beneficium accipere quodammodo videri voluerint: atq; pro sua prudentia, quæ est in illis eximia, animaduertent ad res magnas conficiendas magnis animorum motibus opus esse: sicuti sunt ingeniorum dextrè tractandorum vere ingeniosi artifices, qui cum ad virtutem, & communem vtilitatem tendunt, non modo non impeditri: sed si vnq; nunc certe diligentissimè prouehi debere intelligerent ab illis præcipuè qui tenent inter aliòs & nobilitate generis & opum splendore principatum: D. nostrum Cyprianum vnicum Astronomiæ ornamentum in medijs procellarum fluctibus dum esset in ipso Ephemeridum opere extruendo iniuriâ quadam destitutus, liberalitatis suæ aura: quod magnis viris est proprium: in portum perduxerunt, incogitantem ob eius doctrinæ excellentiam & integritatem morum in tutelam recæperunt, domi suæ humaniter & indulgenter fouerunt, ac ut absolutū hoc opus aureum, atq; præclarum optimis typis, & emendatè exscriberetur. communis vtilitatis prouehendæ studio, sumptus & impensas sufficientes, ex bonis suis, quæ illis larga manu cœlestis numen largitus est liberaliter contulerunt. Quemadmodum enim in malis rebus perficiendis confidentia nihil deterius est: ita nec in bonis quicquam perniciosius desperatione: qua tamen inter tantas difficultates horum temporum has Ephemeridum elucubrationes ad tempus opprimi necesse fuisset, nisi Amplissimorum D. Rosenbergerorum liberalitate, ope, fauore & patrocinio subleuata, alta, & sustentata fuissent. Quod si igitur candide Lector, in his Ephemeridibus aliquid genio & æternitate dignum, à D. nostro Cypriano Leuitio à Leontia præstitum sit (præstitit autem diligentia, opera, & in omni rerum inquisitione plurimum) aut in tanta rerum varietate in his secretius aliquid, & reconditius contineatur, quæ te oblectari, & in admirationem cœlestium operum adducere possunt, quarum contemplatione summi & præpotentis Dei perfectissimum opus pronuciare, & de imensa erga genus humanum beneuolentiâ, & beneficio peritos homines præclare differere cœpisse comprobantur: hoc ipsum non minus Amplissimæ Rosenbergicæ familiæ acceptum ferre æquum est, quam ipsi authori hoc vnicum ex te gratitudinis ergo postulanti, quæ his conatib; admodum salutare & præsentis sua sponte manus attulit, eosq; penè siue fato siue inuidiâ depressos publicæ vtilitati consecrari adiuuit. Bene vale.

### ACHILLIS P. GASSARI L.

medici doctoris *Χημικός*  
ad Lectorem.

**S**I studium Vranix, atq; Poli motus, tibi cordi est,  
Cernere & æthereas si iuuat Harmonias.  
Sicq; Planetarum cursus, vel Sydera cœli,  
Temporeasq; vices, noscere percupias,  
Siue velis miros Lunæ Solisq; labores,  
Et facile, & certo præcinuisse gradu.  
En tibi Ephemerides cultas, recteq; politas,  
Quas Cypriani dat docta Minerua nouas.  
In quibus arte bona inuenies, curaq; fideli,  
Tractatum, quicquid tota Mathesis habet,  
Namq; domos superas sic te penetrare docebunt,  
Vertice ut excelso te Astra ferire putes.  
Quin disces magnum ut dominantur fata per orbem,  
Atq; vnde humanæ stentq; cadantq; viæ.  
Ergo age gratanter tam pulchros excipe libros,  
Ingenioq; faue, lector amice, sacro.  
Commoda multa feret, si quis mercabitur illos,  
Necq; vnq; precij pœnituisse potest.  
Vix aliquis Cræsus, vix Auri copia ditis,  
Tantum præstabunt, quam liber iste dabit.